

**Thesis medica inauguralis, de physiologica et pathologia dentium  
eruptionis ... / Eruditorum examini subjicit Seguinus Henricus Jackson.**

**Contributors**

Jackson, Seguin Henry, 1752-1816.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1778.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qsbz34y3>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

G1644/18

JAC

Dapl. (2)

THEESIS MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE

Physiologia et Pathologia  
Dentium Eruptionis:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

SEGUINUS HENRICUS JACKSON,

ANGLO-BRITANNUS,

Societatis Medicae Edinensis Sodalis,

Nec non

Societatis Physico-Chirurgicae Edin. Soc. Hon.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

• Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ

• Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,

• Et minor igne rogi.'

JUV. SAT. xv. l. 138.

EDINBURG:I:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

---

M,DCC,LXXXVIII.

350337



Patrum Optimo  
RADULPHO JACKSON,  
LONDINI,  
in Re Medica  
Diu multum versato,  
Laudibusque meritissimis  
eam adhuc facienti,  
SEGUINUS HENRICUS JACKSON,  
Filius devinctissimus,  
S. P. D.

*Quando, et beneficiorum tuorum, in me, usque a cu-  
nabulis, largiter collatorum, et indignitatis meae, haud  
immemor sim; quando occasiones plurimas, in arte me-  
dica scientiam assequendi, mihi ab egregia tua indul-  
gentia concessas, recenseam; vereor, ne Tibi, Virorum  
amicissime semperque colende, quae debeo minus impen-  
dam. Boni tamen accipias exigua, quae suadent occa-  
sio, obsequium, et reverentia, pergrati animi testimonia.  
Tibi etiam, Genitor charissime, hasce studiorum, quales  
quales sunt, primitias, humillime dare et dedicare de-  
crevi, benevolentia tua, ehen! non, adeo ut uterer, dig-  
nas. Quae in culpa sunt emendato, redundant deleto,  
et ex ampla tua experientia, argumentum tam momen-  
tosum, quam propter temporis angustiam imperfectum,  
ad umbilicum ducito. Sic eris mihi maximus Fautor.*

V A L E.

Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30352642>

THESES MEDICA.

INAUGURALIS,

D E

Physiologia et pathologia Dentium  
Eruptionis.

PRO O E M I U M.

OMNIS homo, qui generis humani  
patronus nuncupari, et felicitati con-  
sortium inservire cupit, pro viribus eniti de-  
bet, ad consilium tam optabile tam laudabile  
absolvendum. Spero igitur haud alienum  
fore, paucas generales praemittere obser-  
vationes, quae ad hunc scopum pertinent.

A

Deinde

Deinde de morbo quodam particulari dicemus.

Mundus ex individuis, eodem modo ut ex annulis catena, consistere videtur, inter quos deprehenduntur aliqui, qui muneribus majori copia fortunae, et, praे aliis, facultatibus animi insignioribus, innatis vel acquisitis, dotantur. Sic alter annulus altero fortior evadit.

Catalogo mortalium tam felicium et excultorum in principem locum teneri meretur medicorum tribus: Inter omnes eminent propter salutares labores. Procul dubio existimantur (vel existimari debent) generi humano utilissimi. Dum artem exercent, patriae benefacere et eam locupletare, aequa ac inter individuos aīici officium praestare, queant. Illa florere debet a prospero eorum successu in praxi medicinae, dum hi laetitia exultant, vel quia a morbis defendantur, vel ad salutem restaurantur, vel quia saltem a calamitate doloris, et aegritudinum, et fortassis abjectae spei, solamen quoddam percipiant.

Postulent

Postulent aliqui, quae emolumenta patriam nostram ditarent a prospero medicinae eventu? Talibus quaestionibus respondere vellem, dicendo, majorem inde fieri numerum generis humani, et omnia naturae necessaria increvisse. Sic enim habet praeclarus quidem auctor \*: ‘A raritate incolarum orientur procul dubio raritas penorum, et solum derelictum ejus fertilitatem perdet.’

In hocce modo hominum vastatio, a quavis causa, antecessor inediae fieret, de cuius horrendis effectibus tam multum pertimescere debemus, propter ejus proclivitatem ad corpus humanum sic afficiendum, ut a febre contagiosa facile conflictetur; et jam nunc haec causa a nostro professore celeberrimo Doctore Culleno, quasi una causarum pestis remotarum, existimatur: ‘Nam, ait ille, Populus, fame et frigore labefactus, ad causas plurimas exponitur, quae febrem contagiosam frequenter gignunt:’ Sed, e contrario, quo numerosiores sunt agricultores, eo copiosiores fructus erint terrae.

Ad

\* Rousseau.

#### 4      THESIS MEDICA

Ad hanc cogitationes antea dictas gradatim deductus sum considerando, artem medicinae, in manibus idoneis, magnopere opitulari, cum aliis ordinationibus necessariis, ad nos, contra talem conditionem terribilem, protegendos, aptam esse, praecipue, si feliciter exerceatur in morbis debellandis, qui ad aetatem infantiae mutae pertinent.

Si mors hominis unius societati detrimentum adfert, quanto major deflenda est jactura tot infantium inopum et demortuorum, qui, si ab auxiliis eruditionis medicae tempestivis sanati fuissent, plurimos annos vixissent, et utiles fierent ad patriae felicitatem et prosperitatem promovendam ?

Quantum igitur ex omnibus exceptari debet, artem medicam numerum lethorum in hacce aetate praematura occurrentium posse attenuare. Et non possum non in hoc loco mentionem facere, quamvis pauci sunt ejus ignari, plures inter primum et tertium aetatis annos vitas amitti, quam in ulla pari periodo infra annum aetatis quadragesimum.

De-

Demonstrant manifeste haec et talia facta, quantum uniuscujusque intersit medici, arti salutiferae et opiferae summam attentionem dare, et non nugas de industria agere ad vitae humanae perniciem, et famae suae dispendium, dum, eodem tempore, defectum literarum humanarum omnino arguit.

Magnopere desideratum est a plurimis, ut attentio major morbis infantium adhibetur, et praesertim dentitioni ; quoniam, ut putat pars maxima hominum, morbis aliis infantorum multis originem praebet.

Multum vereor hancce sententiam veritate inniti, et usu quotidiano confirmari. In praxi medicinae tyro, neque defendere, neque refellere eam conabor ; et talis quaestio prorsus a proposito alienum esset.

Res, de quibus agitur in paginis sequentibus, nunquam ab ullo auctore in partes divisae vel systematice tractatae fuerunt : Ordinem igitur tali argumento accommodatum persequar.

5      THESES MEDICA

DENTITIO.

Arbitriis diversis obnoxiae fuerunt diu et physiologia et pathologia dentium eruptionis; et etiam hoc tempore ambigitur, ni fallor, an morbus existimari potest. Tametsi plurimorum opinionibus congruum est, illam infantibus frequenter lethalem evasisse: Et Arbuthnot effectus mortiferos tam magnopere credit, usque adeo afferere, ‘ Partem infantorum decimam, durante dentitione, mori.’

Quinimo, ex adverso, sentit Doctor Young, artis obstetriciae in hacce academia Professor eminens, unum vix e viginti infantorum dentientium plurimum pati, tam raro est dentitio dolorē comitata: Necnon, inquit Doctor Cadogan, ‘ Nullum esse morbum, ‘ alioqui salute frui non possemus, durante ‘ vicennio, vel aliis verbis, donec omnes vi- ‘ cenarii vel amplius evaderant; quoniam ‘ per maximam hujusce temporis partem ‘ erumpunt dentes.’

Utut

Utut ingeniosus Cadogan dentium formationem in maxillis, eorum pro exitu per alveolos et gingivas, habuisse videtur. Posterior enim systematis statum, cui nomen dentitio dedimus, solummodo constituit, et qui dentium ab evolutione per maxillas plus minus evidens est.

Multum mihi arridet sententia quae sequitur, viz. quod dentitio nihil amplius existimari valeat, quam mutatio in oeconomia animali a natura stabilita, nihilominus morbidis affectionibus frequenter comitata; et igitur, talibus occurrentibus, dentitio difficilis a me nominata.

Æque consentaneum esset rationi praegnationem vel uterum impregnatum, quasi morbum computare, ut credidit Sauvagesius; sed nemo, ni fallor, illius concedet opinionem: Nequaquam, aliquibus in casibus, oriuntur, ex hac corporis conditione, morbi totius systematis.

Argumentum in modo sequente tractare volumus; et imprimis paucas observationes anatomicas assignare tentabimus, quoniam, ut

mihi

8 THESES MEDICA

mihi evidenter apparet, tales sunt perquam  
necessariae ad progressum dentitionis recte  
intelligendum.

I. Alveolorum formatio

II. Dentium formatio.

III. Definitio

IV. Historia

V. Diagnosis

VI. Causae remotae

VII. Causa proxima

VIII. Rationes symptomatum

IX. Prognosis

X. Prophylaxis

XI. Consilia curatoria

XII. Conclusio.

Morbi,

Ad capita in ordine consideranda nunc  
progrediamur.

I. FORMATIO ALVEOLORUM.

Periodo valde praecoci observari queant  
rudimenta processus alveolaris primordialia.

Principio

Principio sub forma fodinae longitudinalis solum comparet, et in foetu trimestri notanda est haecce structura. Videtur illo tempore, in parte anteriori, profunda et angusta, et dum retrorsum extenditur minime profunda et diffusior fit. Non hac aetate in cavernas, alveolos dictas, dividitur, sed notantur culmina vel spinae quae trans fundum et latera expanduntur, et inter ea foveolae leviculae formantur, quae clare alveolos ostendunt nobis futuros.

Procedunt in propria fodina tenui, ad imum hujuscē cavi alveolaris, vasa et nervi, quae tempore procedente in canalem discretum et osseum mutatur.

Perseverat processus alveolaris dentibus accrescere, immo aliquo tempore illos praevertit. Culmina, quae ad dissepimenta struenda deinceps designata sunt, e lateribus cavitatis pullulasunt, et canalem, instar fornicium concavorum, ante cellae singulae orificium, transgrediuntur.

Dum excavantur cellae, arctiora evadunt oricia earum, et temporis progressu, parietibus

tibus ossis prope, sed non penitus, circum-  
dantur dentes contenti, puncto adhuc rema-  
nente aperto. Haecce structura cellarum  
specialis, ut probabile omnibus videndum  
est, accommodata apparet ad defectum den-  
tium relevandum, fulcrum stabile, donec  
evolvuntur dentes, gingivis praebendo.

## II. FORMATIO DENTIUM.

Dentes in initio quasi corpora carnosa vel  
pulposa apparent. In foetu trimestri vel  
quadrimestri, quatuor horum vel quinque  
corpusculorum, in foveis processus alveolaris  
disjecta, videri possunt; sed ad aetatem hancce  
maturam non valde distincta spectantur.

Circiter mensem quintum, et corpuscula  
pulposa, et loca quibus continentur, facilius  
observata sunt, praesertim anteriora, quae  
isto tempore magis exacta sunt. Necnon eo-  
dem tempore acumina incisorum primorum  
in duritiem osseam degenerantia, notanda  
sunt,

Durante mense sexto vel septimo, margines horum vel summitates quinque corporisculorum jam enumeratorum similem duritatem obtinere incipiunt, et primarium in ossificatione etiam mediocriter progressum est: Necnon in praesentia dentis pulpa sexti formam propriam acquirit; adeo ut ad hancce aetatem, viz. semestrem vel mensem septimum, enumerare possumus, in maxillis ambabus, dentes viginti, qui plus minus ossificati fuerunt: Itidemque observemus quatuor aliorum stamina.

Dentium ossificatio modo sequente consummatur. Imprimis, materia puluae superficiem obducit ossea externam, quae in baseos summitatibus, quam in ulla alia parte, citius conspicua est. Lamella formatur ossea, et dein altera, quae ad priorem interne adjungitur, donec gradatim, laminis serie continuatis, absolvitur dentis durities; et quo magis augentur laminae in numero, eo magis minuitur puluae proportio, adeo ut in summa senectute ejus vestigia vix remanent ulla. Ubi in materiam vertitur dens osseam,

pars corticalis, eburnea ac vitrea dicta, formari incipit, et ex membrana olim pul- pam obducente occurrit haecce productio : Ita, a tali fonte, lamellas corticis internas primum formari, manifestum est. Sed observatione dignum est, corticis fibras a superficie partis osseae modo perpendiculari emergere, origine laminosa non ob- stante. Ubi per gingivam penetravit dens, crescere definit cortex : Nam postea fon- te caret.

Sic habet infans recens natus ex toto den- tes viginti quatuor, sed nulli ex maxillis ap- parent. Aliquando, sed rarissime, contingit haec eruptio praematura ; nam viderunt Bar. Van Swieten, et alii, ‘ Recens natos jam u- num alterumve in maxillis ostendere den- tem \*.’ At dum aetate proiectior evadit infantulus, dentes gradatim duritiem osseam majorem obtinent, et circiter septimum, octavum, vel nonum mensem post natum, ele- vantur incisores, et cito gingivas penetrant :

Et

\* Van Swiet. Comment.

Et haecce dentium elatio primo in maxilla inferiore plerumque animadvertisit, atque a radicum productione oritur; nam, dum elongatur radix, in imum alveolum premit, et abhinc elevatur basis vel dentis corpus, donec in lucem erumpit. Antehac mutata est pulpa dentis sexti in materiem ossream.

Variat in diversis infantibus, praeterea aetate qua occurrit, dentium in lucem prolatione; haecce autem a viribus systematis non pendere videtur; etenim infantium dentes robustorum, quibusdam mensibus tardius quam debuerant, interdum erumpere incipiunt:  
 ‘ In sana, vegeta, torosa, puellula, primus  
 ‘ dens decimo nono mense prodiit, sequenti-  
 ‘ bus satis cito reliquis, et sine molestia fere  
 ‘ ulla. In debilibus et morbosis, quandoque  
 ‘ adhuc serius incipit dentitio; ex quibus pa-  
 ‘ tet, primorum dentium eruptionem diverso  
 ‘ tempore etiam naturaliter contingere \*.’

Formatio cuspidatorum et molarium abso-  
lute consummata, necnon ossificatio eorum,  
non

\* Van Swieten. Comment.

non tam rapide, quam inciforum completio, occurrunt. Omnes priores iisdem ferme temporibus, viz. circiter mensem vicenarium, a cavernis erumpunt. Tamen molaris primus vel anterior intra alveolum saepe magis provehitur ad ossificationem, quam cuspidatus, et plerumque per gingivam primo penetrat.

A plurimis divisi fuerunt molares adulti in parvos et amplos; priorum sunt duo, quibus dedit Hunterus nomen bicuspidati. Sed forsan non eligendum est, quoniam, ut demonstrat Monroius, tribus seu pluribus mucronibus praediti sunt. Cuspidati apte satis nuncupantur canini.

Dentes haetenus memorati soli sunt, quiullo modo utiles puerulo fiunt a mense septimo, octavo, vel nono, ad annum aetatis septimum vel octavum. Nuncupati fuerunt dentes temporanei vel lactei, quoniam ab anno aetatis septimo citius seu tardius effunduntur, vel mutantur omnes, et ab aliis suppeditantur fedes.

Multo

Multo serius in vita erumpit dens sextus, non, secundum Hunterum, usquedum ad annum decimum vel duodecimum evasit puerulus; quippe Monroius circiter annos septimum vel octavum eum plerumque extrusum conspexit.

De connexu dentes inter et alveolos, sequentia enumerare fert animus \*. In collum vel contractam puluae partem, ad dentem formandum designatae, videtur membrana vasculosa in osse vel alveolo adhaerens, et pulpam circumcingens, una cum adhesione gingivam inter et hancce membranam, quae, ut antea dixi, originem cortici praebuit. Utut haud inter se haerent pulpa eademque membrana; e contra, ad talem conjunctionem praepediendam interponitur materies glutinosa; adeo ut tam facile quam dura et pia mater segregari possint.

Advertendum est, notas anteadictas ad inferiorem aequem ac superiorem maxillam pertinere, nisi e contra sit observatum.

### III. DEFINITIO.

\* A. Mon. Prael.

## III. DEFINITIO.

Congruum argumento quasi uno hactenus non systematice tractato, tametsi in aliquibus occasionibus sistema morbide afficiente, imprimis tradere definitionem audebimus, cui nomen DENTITIS damus.

**Char.** Morbus, infantulos a mense sexto aetatis ad finem anni secundi infestans; pyrexia, calore, rubore, tumore gingivarum, inquietudine, salivatione, et saepissime diarrhoea vomituque comitatus.

Ut mea memoria est quoad talem indagandam, illum hucusque locum in nosologia methodica tenentem, non explorare possumus: Et lubet nihil suspicari hancce omissionem, si omissione appellanda sit, irrepsisse, quoniam

III. DEFINITIO

quoniam a medicis haec systematis affectio, quasi morbus, nunquam existimata fuit.

A symptomatis eum graphice describentibus, me judice, ordini Phlegmasium in Synopsis Doctoris Culleni, omnium exactissima, viz. Cl. I. Ord. II. apte competenter. Etiamque reor, ordinis characterem et morbi naturam inter se sic satis consonare: At forsitan rara sunt exempla in quibus facile fuisset accommodanda classis descriptio; saltem illa observare, ad quae spectat, difficile foret.

#### IV. HISTORIA.

Quo irritabiliores infantuli, eo graviora morbi sunt signa; nihilominus, sensilitate immutata, evidenter eveniunt exacerbationes hujusce morbi particulares, praesertim ad initium et finem intervalli, in definitione enumerati. Igitur hocce temporis spatium, in periodos duas, his exacerbationibus notatas, lubet mihi dividere. Primam, quia sextum

C

circiter

circiter mensem fere aegrum tenellulum premit, quando exsurgunt maxillis incisores, Semiannualem nuncupare vellem.

Alteri nomen Sesquiannualis dedisset; nam circa mensem decimum octavum vel vicenarium, in genere, erumpunt e limitatione molares et cuspidati. Porro, distinguuntur hae periodi vi symptomatum; plerumque dentitionis symptomata ad periodum primam, potius quam secundam, benigniora sunt, ut fere omnibus notata fuerunt.

Variat etiam vis morbi ad periodum ultimam: Nam a quibusdam auctoribus observatum fuit, symptomata oriri pejora a ginvivarum destructione, cuspidatis extrusis, quam molaribus. Sic attamen in praelectionibus narravit Dr Young: ‘ A dente acuto quam obtuso facilius perforantur gingivae; igitur manifestum est, cur, durante molarium eruptione, quam incisorum, magis ex- cruciantur infantes.’

Sic enim habet celeber. Van Swieten. ‘ Omnia dentitionis mala magis metuenda sunt, dum erumpunt dentes canini, qui obtusum

‘ obtusum apicem habent, et satis crassi  
 ‘ sunt \*.’ Addit etiam auctor idem, ‘ In-  
 ‘ cisores acutum referunt cuneum; hinc fa-  
 ‘ cilis membranam incumbentem findunt.  
 ‘ Molares autem, licet latiorem superficiem  
 ‘ habent, quam canini, et quatuor apices,  
 ‘ facilius feruntur; quoniam non simul et  
 ‘ semel, sed successive, illi apices emergunt.’  
 Sed ad historiam morbi ipsius nunc progre-  
 diamur.

In introitu dentitionis, vel prima dentium  
 eruptione, antequam occurrat ulla affectio  
 topica sensibus manifesta, perturbantur in-  
 fantuli pruriginibus et perceptionibus gin-  
 givarum stimuleis, quas propensione pene  
 perpetua ad illas digitis vel aliquo corpore  
 duro atterendas detegunt. Dum crescunt hi  
 sensus, gingivam ex aliqua parte plus minus  
 affectam esse calore, rubore, et aliis inflam-  
 mationis symptomatis, convenit.

Nunc evenit aucta saliva secretio; nam  
 sputum in mentum copiose demittunt infan-  
 tes.

\* Comment.

tes. Sed in dubium vocatur a quibusdam  
hocce symptoma, quoniam tam mature in  
casibus aliquibus evenit. Me judicante, o-  
men dentis cito prodituri aestimari potest,  
ubi nulla alia symptomata adhuc apparue-  
runt. Sic loquitur Van Swieten: ‘ Nares  
‘ pluunt, genae rubent, a dentis emersuri ir-  
‘ ritatione, humoribus majori copia versus  
‘ caput derivatis \*.’ Sic Moschion habet:  
‘ Succedit et pruritus in meatibus auditoriis,  
‘ et aures humescunt: Nonnullos ophthalmia  
‘ corripit, et sanguis ex canthis oculorum  
‘ fluit †.’ Fortassis observare possumus cito,  
partem gingivae quandam ab acumine den-  
tis magis protuberantem, quam plerumque  
notata est, et a dolore acuto, qui necessario  
a tali causa stimulante effluet, tumor partis  
universus sequitur; et revera infantem den-  
titidi affici raro exploratum habetur, donec  
plus minus tumoris in gingiva notari potest.  
In genere, pars, quae inter omnes eminent,  
candidula videtur.

Modo

\* Comment.

† Apud Spach. gynaec.

Modo augebuntur pulsationes et corporis calor, et multum inquietudinis ostendet aeger tenellus, et inquiete dormiet. Notatur in gradu conspicuo calor in ore alumni; nam, dum sugerit, in papilla nutricis plurimum sentitur. Etiam solito avidiores fugunt, forsan a siti adaucta, et, quasi exterriti, in somno frequenter excitantur, nec ab eo recreantur. Evadit respiratio difficilis et brevis, et quam probabiliter tussi arida accomitata erit, quae quadantenus ab initio ad morbi ultimum infantulos quosdam discruciat; sed non signum est pathognomonicum. A doloris violentia, durante febrili systematis conditione, oriuntur subsultus tendinum, et creantur motus convulsivi, praesertim capitis et faciei; et consequuntur paroxysmi nonnunquam epileptici. Porro, ut ita audio, exempla sunt memoriae tradita, ubi in hydrocephalo fataliter finivit dentitio.

Si liberi, sed raro est, laborent alvo astrida, in pejus symptomata ruent: Sed magis frequenter contingit, puerulos alvi profluvio affici, antehac symptomata haecce gravia

gravia illos in discrimen adducunt; et si modice eveniet hic laevor intestinorum, omen morbi feliciter terminatur existimatus fuit; quoniam symptomatis febrilibus obviam ire, vel saltem talia lenire, aptus est. Sic loquitur Van Swieten: ‘Alvus solito laxior dentientibus infantibus prodest potius.’ Et sequentia docet Hippocrates: ‘Quibus in dentitione multoties subducitur, illi minus convelluntur, quam quibus ita paucies \*.’ Insuper protulit auctor † clarissimus et illustrissimus sententiam quae sequitur: ‘Leve alvi profluvium aliquibus in casibus convolutionibus prorsum adversari.’

Quinetiam observemus, quod per totum morbi cursum laborant aegri tenelli plus minus vomitionis, ab iisdem causis, ut probabile est, quibus pendet diarrhoea, orientis. Sed de explicatione in futurum. Notatum porro dignum est, ventriculi contenta per vomitum ejектa esse acerrima.

V.

\* Lib. de Dent,

† Morgagni.

## V. DIAGNOSIS.

Ni me fallit animus, raro occurret morbus, qui talem dentitioni similitudinem demonstraret, ut in diagnose constituenda longe errare possimus. Signa pathognomonica hujuscemorbi satis efficacia mihi apparent. Nihilominus, salute tenellorum invocante, pauca in hoc loco animus est suggerere.

*1mo*, Infantuli, interea dum erumpi expectantur dentes, tussi sicca, alvo laxa, et quadantenus febre, saepe discruciantur. Hae morbidae affectiones a vermibus in primis viis crebro pendere spectantur, praecipue si nulla sit topica in ore affectio observata. Sed, si ad periodos vel semiannualem vel sequiannualem olim notatas occurrant haec, a dentium extrusione, jam tum incipiente, maxime oriri suspicarer.

*2do*, Impossibile mihi non apparet, quin, etiam in hisce tenellulis, originem ducere possunt

possunt inflammatio et gingivarum tumor a frigore, (eruptione dentium eodem tempore inopinata), cum forte symptomatis aliis similitudinem odontalgiae gerentibus. Ut cunque, si talia evenerint, praxin medicam quam parcissime mutarent, methodo affectionem topicalam tractandi, praे qua inter se discreparent, exempta, ut idaeam commemorarem solummodo sufficiat.

*3to*, Aphtha, *Thrush* vel *Pipp* Anglice dicta, raro tantum gingivas afficit. Os internum, fauces, &c. potissimum occupat, et fatis a dentitide ulcusculis et deglutitione difficile distinguitur, quorum neuter ad dentitionem difficultem pertinet. Igitur, etiam ab oculo maxime incauto, nullum est periculum inter hos morbos male judicandi.

*4to*, Denique, in mentem venit alia affectio morbosa, quae, ab aliquo speciali, paritatem dentitidi feret, scilicet, labes venerea a matre accepta, praecipue in parte quadam gingivarum infantuli apparens. Tam multum variat conspectus luis venereae et forma et viro, ut conjecturam hancce satis verisimilem

milem reddit. Attamen, si occurreret talis gingivarum laesura symptomatis dubiis et dentitidi similibus, adhuc probabile est, famam maternam, pariter ac alia in statu infantis apparentia, tam luculenter morbum notasse, ut cito ad judicium duceremur rectum.

Utut, si unquam ambigitur de indole morbi, vel si complicata fuerit dentitis ulla alia partium laesione, inter talia facilius di-judicabimus, et veritatem intelligemus, si attentionem debitam parti, quae inflammatione afficitur, et liberorum aetati, habeamus.

Etenim, ut antea observavi, dentes non nulli temporibus specialibus erumpunt, alii aliis; ita, primo apparent incisores, et situm inflammationis circa mensem septimum et octavum notant: Tardius molares et cuspidati, viz. circiter mensem vicenarium, et paulo citius, et sic nota est nobis pars, quae hoc aetatis signis inflammationis male appetet. Haec et talia facta satis stabilita diagnosin, morborum similitudinem gerent.

tium, nos edocere, faustum optime infer-  
viunt.

## VI. CAUSÆ REMOTÆ.

Mos est, et merito, hasce bifariam partiri,  
viz. in praedisponentes et occasioales. De  
prioribus imprimis agemus.

### *imo, PRÆDISPONENTES.*

*a.* Conditio fluidorum acris vel redun-  
dans, ut mea fert sententia, quaedam sympto-  
matum topicorum magis expedite adducere  
videtur, praesertim inflammationem et tu-  
morem partis affectae. Talis enim praedis-  
positio interdum ad partem accendendam  
solus sufficit, causa occasionali nunquam  
applicata, vel saltem omnino ignota.

*b.* Sensibilitas magna vel irritabilitas ce-  
rebri et systematis nervosi, etiam sistema to-  
tum, ab irritatione gingivarum topica, affici  
et

et perturbari facilis objectet; et a tali corporis habitu pendere possunt pyrexia, convulsiones, paroxysmi epileptici, &c.

### 2do, OCCASIONALES.

a. Ossificatio dentis partis pulposae nimis vegeta, et incrementum abhinc rapidum, causa occasionalis, me judice, frequenter fiat. Talia certe non fatis temporis permitterent ad partes gingivae illas gradatim tabescendas, et absorbendas, per quas penetraturus est dens. Oriatur itaque in gingivas interne pressura dentata.

Primitus fuit dens in corpore massa pulposa, et radice vel radicibus, Anglice *Fangs* dictis, vacuus. Ast, dum in corpore dentis completur cavum materie ossea, in illo effusa vel deposita, in radicem elongatur pulpa; et ad collum vel partem corporis dentis contractam inchoat haecce productio.

Dum in longum germinat radix, in alveolo altius surgit, donec antrorum impellitur corpus

corpus dentis totum per alveoli aperturam, et ad hoc consummandum ex parte macrescit alveolus, et absorbetur. Denique, gingivam ipsam facile perforat, ea lege ut nullum sit obstaculum dentis extrusionem topice impediens.

*b.* Gingivarum densitas ipsarum, ultra solitum, alia causa occasionalis denti obstans quandoque eveniat, utrum sit physica, seu ab externa et evidente causa acquisita. Hujusmodi conditio partialis symptomata usitata certo induceret, exitum dentis praepediendo. Nam, a tali obstaculo, fit contra gingivam pressio praeternaturalis : Et nunc, ut causam morbi immediatam enumerem, facio.

#### VII. CAUSA PROXIMA.

Talem, contra superficiem gingivae internam a dente inductam, quasi causam ex quipendent symptomata omnia, pressuram spectare licet ; itaque causa morbi proxima nuncupari potest. Procul dubio partes gingivae nervosas

nervosas irritare sufficit; et idcirco, affectiones topicas, viz. calorem, ruborem, et tumorem, speciatim in medium afferre.

Existimavit plerumque vulgus, dentem viam mechanice aperire, et gingivam premendo eam irritare, et infantulum poena et aegrotatione cruciare. Abhinc sequuntur inflammationis symptomata.

Utut sentiit jamjudum chirurgus Londinensis praeclarus \*, quod gingivam non penetrant dentes vi vel pressura pura et mechanica, sed ut, quando contra gingivam premere inchoant, et orta fuerunt symptomata supra dicta, irritatio, et, ab hac quae pendet, inflammatio, ad partem expressam tenuitatem gingivae et dispendium producunt, in modum quo ageret res extranea in ulla alia corporis parte contenta.

Dentem quasi corpus, gingivae respectu, extraneum contemplatur, eodem modo superficiem partis affectae internam, cui applicatus est, irritantem, ut irritant apostematis pus, ossis exfoliatio, vel ullum alium corpuscum

\* Johannis Hunter.

pusculum alienum, et idcirco symptomata similia, formatione puris solummodo dempta, concitantem.

Quoquomodo juste appareat ratiocinatio haecce in totum, eam non semper pro facto habendam fert animus suspicari, ex. gr. si tensa et firma fuisset caro gingivae, simul ac protrusio, celerior quam solet, dentis, vim talem contra gingivam mechanicam applicari posse, probabile mihi videtur, ut, causa effectum adaequante, oriatur inflammatio ad pus formandum sufficienter apta.

Nihilominus, e contra, si tarde opus perficiat natura, et in statu benigno gingiva sit, in sententiam auctoris literati expedite accedam, existimando, irritationem a dente orientem tam temperatam esse, ut tabem et corruptelam partium solum producere queat.

Addit vir idem eruditus, ‘ absorptionem in talibus exemplis partium solidarum occurrere.’ Ne minima quidem ex parte improbabile est; sed, e contra, a diversis factis manifestis et exploratis confirmatum. Materiem alveoli osseam trans dentem extensam

tensam esse, et pene convenire cernimus : Hancce partem alveoli decrescere, et per absorptionem avolare, necesse est, ut eveniat extrinsecus denti meatus. Similis substantiae contingit osseae absorptio, ubi postea effunduntur hi dentes ipsissimi; nam illo tempore, cum reliquis radicum paucis ex alveolis diffiliunt. Ab his concludere vellem, quod, si absorberi possit ossea materia, facilius contingere absorptionem gingivae ipsius certo concessum erit, praesertim in his exemplis, ubi levis est inflammatio et suppuratione vacua. His tamenetsi expositis, ob multa suspicandum est, (et ita existimat Cl. Monro-  
ius,) causas, dum erumpunt, et praecipue dum mutant, dentes, agere mechanicas ; seu forsan etiam vis mechanica partibus resisten-  
tibus sic applicata, eas, i. e. earum texturam, adeo commutare valeat, ut postea facilius absorbeantur.

In hunc modum res usitatae aequa ac in-  
usitatae a dentis pressione omnes pendere  
videntur ; quae, idcirco, pro causa proxima  
jure habenda est.

### VIII. RATIONES

## VIII. RATIONES SYMPTOMATUM.

De hac parte observandum est, quod ad symptomata illa explicanda adhaerescam, quae dentidem plerumque comitantur, et quae in morbi charactere enumeravimus. Si ad explicationem symptomatum omnium, quae aliquando, secundum vires morbi varias, apparent, aspirarem, in argumentum nimis demersus fuissim, et intempestive symptomatalogiam morborum aliorum usurparem. Pergam igitur ex ordine definitionis.

1. CALOR. Plurimae sunt opiniones ad physiologiam caloris animalis stabiliendam hactenus traditae, sed adhuc in dubium vocatae. Si fuit quaelibet universim adscita, illa ad calorem auctum partis inflammatae explicandum extemplo uterer. Sed, ut seres habeat, eam rationi et factis satis congruam, ut mea fert opinio, commemorabo.

Sentit medicus Edinburgi praeclarus, et cuius fama per orbem volat, Doctor Duncan,  
calorem

calorem animalem evolutione phlogisti a sanguine produci, actione vasorum huic rei subserviente. Lubet mihi idcirco, sub ea opinione, largiter in praelectionibus suis tradita, calorem auctum partis affectae spectare, quasi a majore phlogisti copia e sanguine evoluta, propter actionem vasorum adauctam, quae actio adaucta ab irritatione in fibrillis nerveis, dente prementi, orietur.

2. RUBOR. Eveniendum est necessario, quod confociet se color rubicundus, cum motu vasorum aucto; nam, illo tempore plus sanguinis rubelli recipere coguntur, quam in statu incolumi et naturali continent. Tamen haecce actio vasorum accelerata, quasi inflammationi requisita, aestimari non debet, nisi in exemplis, ubi applicatae fuerunt causae irritantes, vel quae diathesis totius systematis comitatur phlogistica. Nonnulla etenim phaenomenorum a relaxatione, vel vasorum dilatatione, pendeant, quae conditio actioni auctae adversata est.

3. TUMOR. Probabile mihi videtur, hocce phaenomenon a motu, vel actione vas-

rum tenuiorum et serum ferentium auctae, ortum ducere, unde non solum plus seri solito complectuntur haec vasa, sed etiam effusio, e vasibus exhalantibus in cellas partis diversas, praecipue eas membranam cellulosam formantes, major est quam usitate occurrit. In illis detinetur et accumulatur, quoniam illud non imbibunt, tam celeriter quam effunditur, vasa inhalantia vel absorbentia. Nonne haec retentio ex parte a constrictione in ostiis absorbentium spasmodica oriatur?

4. INQUIETUDO. Infantem irrequietum et anxium esse a dolore non mirum est, sed aequum expectandum. Hic necessario ab inflammatione et nervorum irritatione orietur, et forsan a quadam illorum distensione, ex qua multum perturbantur sensorii functiones.

5. SALIVATIO. Aliam symptomatis hujusce explicationem dare nequimus, quam partium sympathiam eminere existimando, et abhinc glandulas salivales ad motum, ut saliva copiosius secernatur, auctiorem excitari,

tari, ob irritationem in fibrillis gingivarum nerveis.

Ab omnibus concessum est, infantulos in omni corporis functione irritabiliores esse adultis. Ita facile afficiuntur convulsionibus et auctis secretionibus, quae sat propositionem confirmant. Porro, majores sunt nervi et etiam cerebra infantium quam adultorum, si in singulis molem totius corporis analogicam comparative perpendamus.

6. DIARRHOEA et VOMITUS. Laevitas intestinalium, quae tenellos saepissime vexat, ab irritabilitate totius systematis nervosi, et sympathia universali, probabiliter pendet. Sed sentit professor artis obstetriciae in hacce academia, (ut in praelectionibus docet,) illam avii lactis extraordinaria in intestina recepti effici: Nam infantes, quando dolore laborant, praeter consuetudinem, et forte satis superque fugunt, et, si non evomuerint, copiam lactis insolitam ad canalem intestinalem ciendam et perturbandam, aptam esse, nemo dubitare potest. Sed in genere vomitionis plus minus occurrit, quae a diversis causis

causis oriri potest, modo a febrili corporis statu, modo a copia lactis deglutita, et ventriculi mobilitate, &c.

Utut, circiter periodum sesqui-annualem, non in causa esse potest suctus immodicus: Igitur, sub finem dentitionis irritabilitati systematis, et praesertim primarum viarum, diarrhoeam necnon vomitum imputare fert animus.

7. TUSSIS. Unicum remanet symptoma explicatu dignum, nempe, tussis. Sed ad hoc pensum absolvendum deficio. Ab eadem irritabilitate generali pendeat, probabile est: Vel, si acrores reddantur oris et faucium secretiones a gingivis perturbatis, stimulum dent glottidi, dum in ventriculum descendunt, et in hoc modo tussim suscitent.

#### IX. PROGNOSIS.

Secundum morbi symptomata, et corporis aegrotantis conditionem, stabilienda est prognosis,

nosis, et eligenda prognòstica signa. Si mediocria sint symptomata dentis eruptionem accomitata, una cum pyrexia parva seu nulla (et talia dentitionem infantium illorum, quorum fluida blanda et benigna plerumque sunt, sine cuiuslibet vi magna, semper comitantur), fine in morbi felicem pronunciemus.

Sed si operose per gingivam erumpet dens; si a dente sustollatur, et abhinc partes distendantur vicinae; si augeantur dolor, tumor, et inflammatio, et totius systematis gradatim generetur febris; si vehemens sit dolor, et sistema nerveum ita interpellatum et animatum, ut nascuntur motiones convulsivae; si evenient paroxysmi epileptici, &c. plus minus ex rerum hic stantium violentia, et indole corporis concomitante, tenellum aegrotantem periculo objectatum vel secundum profari audemus. Quamvis hae systematis nervosi affectiones plurimum periculi praesagiunt, tamen quandoque evenit infantulos a febris gravitate solummodo abripi.

Tamen,

Tamen, inquit Van Swieten \*, non semper periculum a febre dentitionem comitante metuisse videtur Hippocrates; haec enim verba habet: ‘Quibus in dentitione febris acuta aboritur, raro convelluntur †.’ Nec non in hoc loco observabo, quod, si signa dentitionis pathognomonica, et praesertim topica, deficiant, tamen affectiones quae ad sunt generales, quasi a tarda et difficii dentium eruptione pendentes, nobis suspicari licet, quando pauci extra gingivas, quoad aetatem infantium, apparuerunt dentes. An variant pro certo symptomata ulla anni tempestate quam alia, an non, ignoro. Utut sic scribit Van Swieten ‡, sententiae Hippocraticae congruum: ‘Caeterum hyemale tempus dentitioni magis convenire statuit, ita ut facilius emergant, caeteris paribus, hoc anni tempore.’ Observavit etiam Hippocrates, ‘illis, qui cum tussi dentiunt, dentes tardius

\* In Comment.

† Hip. lib. de Dentit.

‡ In Comment.

‘ tardius erumpere, verū in punctione ma-  
‘ gis extenuari \*’

## X. PROPHYLAXIS.

Ægri viribus destituti constitutio tenera  
remedia exhibendi occasionem nobis aufert.  
Porro, cum nobis minime innotescant quae  
mutus tenellus patiatur, de iis a theoria et  
conjecturis sententia ducenda est. Quaestio  
adhuc remanet, anne, scilicet, dentitio ad a-  
lios morbos systema praedisponit? Affirma-  
tive vult respondere pars hominum major.  
Igitur, rebus generis humani secundis, hunc-  
ce morbum consideratione nostra celerrima  
et arrectissima dignum in memoria habere,  
magni momenti evadit. Ea lege cardinem  
medelae in prophylaxe ponere cupio.

Non difficile fuerit pensum, ut magnopere  
puto, morbum infantulis cavere, vel  
saltem impetui ejus obviam ire. Idcirco  
animum

\* Lib. de Dentit.

animum firmum advertere liberorum gingivarum conditioni, omnibus, etiam nutribus et parentibus, consulerem. Partem affici gingivarum exploratam habemus, si aetati infantuli invigilemus. Sed, si occurreret, ut nulla affectio topica distingui possit, et ut dentium evolutio inopinata sit, tamen attentionem, ad corporis indolem, qua gaudet aeger, dum exstat tempus dentitionis, etiam atque etiam commendarem.

Si ullo in modo praedominari diathesin inflammatoriam compertum sit, perseveranter, sed caute, i. e. quantum aetati tenellorum competit, adhibendum est regimen antiphlogisticum, cuius pars nulla est magis attentione digna, quam ea quae pertinet ad alvi moderatam solutionem. Ad hanc rem usurpanda sunt laxativa lenia: Hujusmodi est magnesia, quae necnon ad aciditatem ventriculi debellandam, si eveniret haec, bene comoda est. Haecce methodus ad morbum praeverendum utilis etiam invenietur, quando praevalet acrimonia vel fluidorum copia magna. Tunc, si a lacte depulsi fuerint,

minu-

minuenda est cibi quantitas usitata solidi, sed liberius bibant. His observatis, diarrhoeae vel febri obviam eundum est.

Si habitudine irritabili praeditus est noster aegrotus, omnia, quae illum mordent et irritant, evitanda sunt. Talia sunt calor eximius, vel ab aëre, vel cibo, vel lecti stragulis, productus; alvus adstricta; medicamenta stimulantia, &c. et fortassis opiata exhibenda sunt, ut posthac dicemus. Sed, si emineat ulla primarum viarum specialis affectio, ut pote aciditas, vomitum, vel plus diarrhoeae quam salutaris est, producens, emendanda est, ut liquido patet, pulvere aliquo testaceo, uti e chelis cancerorum vel oculis. Necnon utile foret medicamen leviter astringens, veluti rhabarbarus. Tamen, dum hae ventriculi et intestinorum affectiones a totius systematis irritabilitate frequenter pendeant, indicata, ad posteriorem minuendam, priores, ut probabile est, etiam amovebunt.

Erroris et incuriae juste accusaretur auctor, si mos omnibus notus et continue exercitatus esset neglectus, et quasi ad numerum

prophylacticorum pertinens considerari potest, institutum volo liberis corpora durandi, ut in os ad gingivas fricandas et secretionem salivaee promovendam ingerant. Ad hanc rem fabricatum fuit corallium. Videntur et medici et nutrices opinione deduci, infantem instinctus particularis ad talia utenda signa mittere, ex quo ea utilia esse concludere vellent.

Ast, anne sunt ulla in causa ad illorum commodum subdubitandum? Quae in mentem veniunt libere in medium proferrem. Quod infantulus nunquam instrumentum efflagitare videretur, vel uti cupiret, nisi dolor nonnullus et difficultas iamjudum gingivas affecerint, magnopere suspicor. Tunc unde oritur haec proclivitas gingivam atterendi? Huic, ut probabile est, responderet Stahlianus, animam, in arte medica vim medicatricem naturae dictam, hic praefidere, et rationem relevandi libero suggerere.

Minime, me judice. Corpusculum parti affectae sustollunt solidum, una eademque ratione ut dentem contrectat adultus, qui  
eum

eum dolore discruciat, quoniam ei levamen temporaneum, et doloris subductionem, praebet.

Hocce satis credibile mihi apparet. Quali speculationi theoreticae hoc solatium confidemus, dici vix potest: Sed omnibus innotescit factum, et a plurimis expertum habetur.

His suggestis, utilitatem et necessitatem consuetudinis suspicarer, et putarem, quod una duarum sequelarum malarum frequenter contingere debet, viz. vel incrementum doloris, ex quo sequitur nimetas inflammationis, (nam, ob causae proximae naturam, dolorem primarium existere, sine ulla vel faltem per exigua, imaginari possum), vel talis densitas seu gingivae induratio, qualis, ad pronam dentis extrusionem impedierat, multum spectaret. Sed ex rebus vanis hae conjecturae fortasse ducuntur, et ad opinionem adversam stabiendam argumenta sint validiora.

Notandum est, hisce observationibus prophylacticis finitis, medicos raro consuli, do-

nec

nec morbo ipso laborant infantuli, quanti  
quanti sint momenti observationes jam e-  
narratae. Tandem ad methodum medendi  
tractandam ducimur.

## XI. CONSILIA CURATORIA.

Quandoquidem, in plurimis exemplis, af-  
flectio est dentitis mere localis, paulula vel  
pyrexia nulla comitata, consilium curandi  
primarium a nobis deponendum erit,

1. Irritationem et tensionem partis affec-  
tae amovere, quae, ut antea dixi, a dentis pres-  
sione fibrillas nerveas mordentis oriuntur.  
Sed, porro indicationem secundam adjun-  
gendi necessitatem habeo, viz.

2. Irritabilitatem systematis minuere ;  
nam, quo magis est haecce praedispositio, eo  
magis afficietur sistema ab affectione aliter  
mere topica.

Ad indicationem primam absolvendam,  
topicis remediis potissimum utimur. Inter  
omnia

omnia eminet sanguis topice stillatus ; quoniam tam luculenter removet distensionem partis tumefactae. Consuluerunt aliqui gingivam tumidam usque ad dentem scarificare et secare, quae non solum ab haemorrhagia, quae contingit, levamen praebet, sed etiam tensionem amolitur, et denti antea obstructo exitum facilem suppeditat \*. Nihilominus ad hoc remedium celeriter recurrere non debemus; si, etenim, extrusio dentis non satis promoveatur, latera vulneris vel scissurae, a cultro incisorio factae, cito ab intentione prima, ut loquuntur chirurgi, i. e. sine inflammatione et suppuratione vasorum incisorum, adunant, et male fuerunt operae posita.

Affectionem pejorem fieri, a vulneris adunctione, non, ut afferuerunt aliqui, dicam ; quoniam, tam prompte conjungi potest, ut reor, ab intentione prima, ut nulla remanebit cicatrix ; advertendum est insuper, cutis raritudinem,

\* Praxis gingivam secandi, a tempore quo vixit Ambrosius Parre, usurpata fuit. Ille primo in liberos suos eam exercere ausus est.

raritudinem, carnis et membranae cellularis exilitatem, in summa, vulneris profunditatem, rem esse nullius momenti, et ad escharam formandam inidoneas, si supra dentem occurreret adunatio partium. Veruntamen, in affectione admodum recente, praxin evitare debemus: ‘Fama etiam medici,’ inquit Van Swieten, ‘insigniter periclitatur, si incisionem suaserit, nec hac facta dens apparereat; et novi contigisse, ut dens octo mensibus post factam incisionem eruperit tantum \*.’

Aliqui venam jugularem pertundere monent; sed talis operatio crudelis, et forsitan aliquando periculosa, videtur: Et evacuatio a vasis parti affectae vicinioribus melius effet cessura. Magis igitur arrideret applicatio hirudinis ad gingivam dolentem, quae celerius praebet levamen, si modo levamen a topica sanguinis missione spectandum.

Cautela tamen opus est, ne hirudo deglutiatur, quod nonnullis accidit: In hunc

finem

finem praestaret, eam ope cyathi et phialae admovere.

Concedendum est autem, quod tale remedium, propter vagitus et clamores infantis continuos, valde sit incommodum ; idcirco, in loco ejus usurpanda sunt alia relaxantia, qualia sunt linimenta mitiora, et fatus maxillis externe adhibendi, dum summa cura a frigore caput defenditur. Sed parum prodierunt, ni fallor, linimenta omnimoda; quoniam, ad gingivas inunguendas, applicari non possunt, adeo ut sat temporis remaneant, sed, e contra, vel exspuitione vel deglutitione inefficacia fient, et forsitan, ad hunc finem, ob indolem relaxantem, eminet saliva ipsa. Consuluerunt aliqui gingivis animantium cerebra; sed haec nihil amplius quam caro animalis prodefesse queunt, et ambo titivilitia sunt.

Ubi autem symptomata topica ingravescunt, et periculum minitantur, congruum videretur, gingivam supra dentem prementem scalpello dividere. Si pars aliqua prae aliis tumidiuscula conspicitur, hic peragenda incisio ;

incisio; raro bene perficitur, et in genere nimis angusta. Mos est incisuram tantum effingere unicum; ast felicior foret eventus, si cruci similitudinem gesserit. Sic consulit Monroius; et ad hunc finem sufficit scalpel-lum commune. Symptomata localia, uti et totius systematis, tantopere pendere vi-dentur a dentis irritatione, ut, cum sic ei transitus sit patefactus, subito omnia eva-nescant.

Eidem medico praeclaro, jam nunc me-morato, innotuit, quod gingivarum caesura ad convulsiones et paroxysmos epilepticos de-bellandos profuit. Veruntamen, in praelec-tionibus, etiam atque etiam commendat, ma-ture ad remedium recurrere, antequam in-gravescit morbus, et haecce symptomata ap-paruerunt; quoniam, si diu procrastinatum, frequenter deserit. Porro, in quibusdam ca-sibus, quos vidit Monroius, portio gingivae orbicularis omnino exscissa fuit. ‘ Incisio ‘ pro dente incisorio erupturo,’ ut monet Fouchard \*, ‘ secundum longitudinem max-‘ illae

\* Le Chirurg. dentiste,

‘illae arcus fieri debet.’ Credit etiam Van Swieten, similem pro canino necessariam, pro molaribus crucialem \*.

Aliqui gingivas leviter perfricare suadent, existimantes, quod talis attritio multum adjuvaret pressuram dentis, ad partes resistentes destruendas. Alii adhibent ceram, alii glycyrrhizae vel althaeae radicis frustulum, quia, dum atterunt, relaxant. Corallium, quondam magnopere usurpatum, nunc vel parvi pendetur, vel nocere creditur, ob duritiem suam, et frustum a multis anteponitur. Forsan inter omnes, hactenus enumeratas, methodos, eminet, propter operandi modum laevem et modicum, suctus digitorum; huic proni sunt infantuli, et utendum dat celeb. Monroius. Gingivas atterendi utilitas analogice confirmatur, si gestum perpendiculariter animalium, quae, durante eorum dentitione, omnia manducant. Si talia nil profundunt, nil saltem obsunt, et forsitan, ex eorum usu, aliquot commodum redundet, eo quod salivae secretionem adaugeant, et sic fluida a gingivis dolentibus eliciant.

G

Dum

\* Comment.

Dum sic gingivarum affectiones mitigare conamur, aliqua ratio totius systematis habenda. Inde, secunda necessaria fit nostra indicatio, viz. quae respicit imminutionem irritabilitatis totius corporis. Infantes hoc vitae stadio, quadanterus solito irritabiliores, esse observantur. Omnia igitur, quae hanc irritabilitatem fovere possunt, fugere oportet. Irritant calor externus, sitis sensatio, acria ingesta, vel primarum viarum faburrae; haec itaque evitanda.

Si sugere desiverit infans, omne cibi calidioris genus procul abigendum est, propter conditionem dentium irritabilem: In hunc finem sic docet Van Swieten \*: ‘Tanta gingivarum teneritudine saepe affligitur infantulus, unde fit ut tactum corporis duri, e. g. cochlearis, vix ferre possint; et hinc patet utilitas differendi ablactionem, donec dentitio absoluta fuerit. Mollem enim nutricis papillam longe facilius ferunt.’ Quandoquidem vigilia, vel somnus irrequietus a praesentia stimulorum oriuntur, laudanum liquidum, vel syrpus emeconio,

\* Com. de Aphor.

meconio, propinatur. Opiata vero saepius usurpata alvum reddunt immorigeram. Hac de causa subinde dentur, quae alvum facile, sed leniter, solvunt.

Irritabilitate sic tempestive debellata, saepius febris fomes amovetur: Si, nihilominus, febris superveniat, dummodo pulsus fortis, calor magnus, et fitis molesta, in corpore vegeto occurant, sine mora ad venaesctionem generalem confugiendum est. Alitus, in tali casu, lubrica tenenda est: Et, durante paroxysmo febrili, commode adhibetur julapium salinum, et id genus refri- gerantia.

Si symptomata oriantur graviora, cum motibus convulsivis, epispaistica applicentur, utpote quae simul inflammationem et motus inordinatos sedare valent: Notandum est autem, quod in constitutionibus irritabilioribus, ea objectionibus sint obnoxia, ob vires quas exerunt stimulantes; hinc etenim non solum sustentari, sed forsitan intendi, possit febris. Ubi tales occurrunt casus, eorum vicem supplere possunt pediluvia; nec non, si urgeant subsultus

subfultus tendinum, pedibus cataplasmata  
perutilia sint; at, ne frigescant, attendite.

Aliquando contingit, ut dum adfint convulsiones, vires aegri multum deprimuntur, et somnolentus fit. Monuit Hippocrates, ' Qui cumque dentientes bene habiti remanent, et altiori somno premuntur, periculum est, ne convulsione corripiantur \*.' Hic aliis remediis praferenda sunt tonica et stimulantia, ut energia vitalis corroboretur, et excitetur. Huic proposito convenient Spir. corn. cervi, Spir. vol. alk. Tinctura fuliginis, et epispastica dorso, vel pone aures, admota. Sub capite febrium a dentitione orientium sic consulit Sydenhamus. ' R. Spir. c. c. gut. ii. vel. iii. vel. iv. pro ratione aetatis in cohl. i. vel altero aq. cerasor. nigr. vel jalap. alterius adpropriati; exhibeantur quarta quaque hora, ad vices quatuor, vel sex †.' Necnon observatis Sydenhami constat Boerhaavii aphorismus, qui sequitur: ' Convulsiones hinc, nempe, a dentitione, oriundas minuta spir. cornu cervi dosis feliciter tol-

' lit \*'

\* Liber. de Dentit.

† Processus Integri.

‘lit.\*’ Priora symptomata allevare possunt; sed incommoda videntur ea dotes propter stimulantes, quae inflammationi fasces addere possunt.

Denique, observandum est, symptomata dentitidis, in exemplis quibusdam, ab ordine, quo perforant gingivas dentes, enormi pendere. Hic inter incisores plerumque occurrit. Quando igitur horum duo dentium invicem se inclinant, adeo ut dentem alterum intermedium emergere praepediant, et eum oblique, vel intus vel extus, per gingivas penetrare urgeant, absque mora alteruter extrahatur, opus est. In hoc modo, denti antea coercito exitum praebebimus mitiorem, et eodem tempore dolorem inusitatum, necessario a tali causa orientem, cito amovebimus, vel saltem insigniter allevabimus. Necnon, digitii pressura materni denti nunc liberato subinde applicata, utilis foret. In situm enim naturalem, et proprium sic citius trahetur, ubi vi hacce mechanica opprimitur.

In universum autem agnoscimus, quod, praxin nunc ubique feliciter observatam, nequaquam

\* Aphor. No. 1378.

quaquam in dubium vocamus. Mitissime tamen tenellus tractandus esse videtur, topicae inflammationis semper habita ratione.

### XII. CONCLUSIO.

Pauca, non parvi momenti, sed attentione medici maxime digna, de dentis sexti eruptione, adhuc addenda sunt. Jamjam hunc dentem in maxillis formari ad periodum vitae maturam observavi; sed plerumque in tenebro alveoli obruitur, usquedum aetatis annum sextum vel septimum jam attigerit infans. Raro autem accidit, ut puerulus male afficitur, dum ille erumpit: Proinde talis affectio fere inopinata fuit; sed quandoque morbidis signis pro certo concomitantur, ut Clar. Monroio innotuit.

Hic sagax medicus, in praelectionibus anatomicis, historiam testatur puellae septen-nis, quae, sub eruptione dentis sexti, chorea Sancti Viti, aliisque symptomatis convulsivis, dimidii tantum corporis, laboravit. Ejus autem

autem conspectis gingivis, insignis apparuit affectio topica, ab hoc dente gingivam in latere corporis affecto premente: Incisio statim facta fuit, et portio orbicularis gingivae excisa: Nihilominus affectio nervosa, ex vi forsan consuetudinis, aliquamdiu remanebat; tandem vero gradatim evanuit. Non longo post tempore, dente sexto, in alterius gingiva lateris, simul erupturo, hoc quoque corporis latus simili correptum fuit affectione, quae eodem tractandi modo gradatim quoque decessit.

Alio etiam viro in hac urbe vitam degenti, nuper occurrit occasio videndi puellam, quae sub vitae periodo, qua dens sextus saepissime erumpere solet, convulsivis afficiebatur symptomatis; et, licet in hac aegra omissa fuit gingivarum inspectio, tamen veri videtur simillimum, quod haec systematis affectio a dentis irritatione proficiscatur.

Ab hisce casibus, talem corporis conditionem morbidam, circiter hoc vitae tempus occurrentem, a dente aegre protruso pendere,  
conjectura

conjectura assequamur, licet ; gingivas igitur examinare nunquam non debemus.

Unde pendeat discrimen inter dentitionem humani et bruti generis, difficile est explicatu ; et cur apud illud aegrius, apud hoc vero multo levius, evadat, neutiquam expondere aggredimur.

Quod potui, feci ; quot quantaque omisi, sive parum accurate exposui, haud nescius recognosco. Rei tamen novitas, et auctoris tyrocinium, concilient veniam. Reliquum tantum est, ut praeclaris hujus Academiae Professoribus cordatas, ob beneficia in se collata, gratias agat.

Inter summos autem illustres, Monroium, et Homium maximis efferre laudibus devinctus voveo. Monitiones quibus, tum publice tum privatum, me toties dignati fuerunt, in alta mente reponuntur, et in perpetuum reponentur, dum spiritus hos regit artus.

Te

Pariter et vobis, Medici, qui apud clinicos,  
aliosve in Nosocomio regali nostro aegrotan-  
tes, operam tam fructuosam dedistis, haud  
parum debeo. Quantum enim emolumenti  
**ex hoc fonte profluat, dicant studiosi.**

Te demum, egregie Duncane, eulogio  
complectar. Comitatis tuae, praceptor,  
amicus, dubiis in rebus consultor, usquam  
meminisse juvabit. Pergas, ut incepisti, et  
ingenii, eruditionis, et industriae diuturnam  
et honestam famam, florenti TIBI tribuat  
aevum.

F I N I S.





